



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 55. Congregationum de auxiliis præludia Romæ inchoata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.
A.C. 1597.

stolicæ Legatum anno sequenti die vigesima sexta Februarii perscribi, ac Patribus Dominicanis significari iussit, quod Sanctitas sua factam prohibitionem moderando eis facultatem concedat, ut libere possint de Divinæ gratiæ efficacia conformiter ad Doctrinam sancti Thomæ legere, ac disputare, prout antea fecerunt: pariter Pontifex Patribus Societatis eandem relaxati silentii gratiam significari præcepit, adjecta tamen hac restrictione, ut quidem de eadem materia legere, & disputare possent, tradendo tamen semper sanam, & Catholicam doctrinam: verum ex hac ipsa Pontificis concessione novæ oriebantur controversiæ, uti ad annum sequentem referemus.

§. LV.

*Congregationum de auxiliis præludia
Romæ inchoata.*

Hist. Controv. l. 2. cap. 21.
Hist. Congreg. de aux. l. 5. sect. 3. c. 14.
Abreg. chron. de l'hist. Eccl. tom 3. p. 342.

Eodem anno Mense Junio Didacus Alvaresius Prædicatorum in Hispania Procurator, qui jam anno priori die septima Novembris Romam pervenerat, summo Pontifici libellum supplicem obtulit, petens, ut, donec elucubratae utriusque partis defensiones ex Hispania Romam deferrentur, interea Molinæ librum de concordia, necnon ejusdem Commentarium in primam Divi

Divi Thomæ partem a selectis Cenforibus examinari juberet, quatenus tunc, si hic liber inventus fuerit perniciosus, prohibeatur, cum ex hac ipsa dilatio-
 ne periculum imminere comprobetur, juniores enim Theologi, ut exponebat „Alvaresius, qui juventutis animositate, „nova quæque curiosa in Mysterio tam „difficili facile amplectuntur, cum ma- „gna postea difficultate (si semel vene- „num alicujus falsæ doctrinæ imbibe- „rint) veram, & antiquam liberi ar- „bitrii cum gratiæ donis concordiam su- „stinebunt., Præter hunc libellum insuper Alvaresius succinctam Prædicato-
 rum Apologiam Cardinali Alexandrino obtulit, qui eam hoc ipso mense Clementi VIII. porrexit: insuper die vigesima tertia Octobris Henricus Henriquez e tyrocinnio Dominicanorum, ut ipsemet testatur, ad Jesuitas reversus jussu Clementis VIII. de Molinæ Doctrina censuram priori adhuc sæve-
 riorem Romam misit, cujus Autographum Romæ in secretiori Patrum Augustinianorum tabulario asservatur, ubi inter alia hoc judicium fert: *hic liber viam parat Antichristo, dum contra merita Christi, & gratiarum auxilia, & prædestinationem plurimum tribuit viribus naturalibus liberi arbitrii Si ejusmodi doctrina ab emundæ nris Viris, ac Religiosis*
 H 4 pro-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1597.

Sæcul. XVI *propugnabitur, tota Ecclesia discrimini exponetur, ac plurimorum Catholicorum ruinam promovebit.* Eodem quidem die, & anno priori Petrus Protocarerius Generalis inquisitor quam plurimas virorum eruditorum Censuras ad eandem Urbem in quadam lignea cista transmittabat, inter eas tamen Inquisitionis Notarius in sua scheda anno millesimo sexcentesimo primo Jesuitis tradita præfatam Henriquezii censuram minime repositam testatur, quod forte ex eo evenit, quia illam Henriquezsius separatim, ac tardius Romam miserat, vel ea nimis acerbo calamo conscripta fors suppressa fuerat. Attamen ut res se habuerit, id omnino certum est, quod Ludovicus Molina, cum sibi ab Alvarezio, aliisque Doctoribus litem Romæ intentatam esse haud ignoraret, circa Mensem Julium porrecto libello supplicii Clementem VIII. impense rogaverit, ut si quid in suo libro censura dignum reperiri contingeret, id sibi communicaretur, quatenus doctrinæ suæ rationem reddere valeret, quam in rem tanquam Procuratores suos constituit Bellarminum, & Arubalem ambos Jesuitas.